



**Joan. Rivii Attendoriensis de instaurata renouataque  
doctrina ecclesiastica libellus. : Ad Illustrem & egregium  
Principem Mauricium, Hennerichi F.**

<https://hdl.handle.net/1874/423710>

4

# IOAN· RIVII

## ATTHENDORIENSIS

DE INSTAVRATA RENOVA  
TAQ VE DOCTRINA  
ECCLESIASTICA  
LIBELLVS.

Ad Illustrem & egregium Principem  
MAVRICIVM, Hennerichi F.

LIPSIAE

APVD NICOLAVM VVOLRAB,  
ANNO  
M. D. XLI.

**P**ARVA quidem (fateor) nimis, et vulgaria penè  
Vixq; tuo Princeps digna fauore damus.  
Verum quæ si nullo alio tibi nomine, saltē  
    Argumento ipso per placitura putem.  
Si modō nota mihi satis et perspecta uoluntas  
    Est tua, si uera religione amor,  
Quod si grata tibi (tua quod bonitas mihi p̄sonet)  
    Cognoro Princeps scripta fuisse mea,  
Iam mihi iam certe stimulos admoueris acres  
    Ingenio calcar subdiderisq; meo  
Maiora ad dandum conanti talia dudum  
    Si modo diuinum numen adesse uolet.  
Sed ne distractum curis grauioribus ipse  
    Detineam nugis impediamq; meis,  
Saluus et in columnis uiuas clarissime Princeps  
    Et uincas Pylij secula multa senis.

ILLVSTRI  
PRINCIPI AC DOMINO  
D. MAURICIO DVCI SAXONIAE, &c.  
Illustrissimi Principis Hennerichi F.  
IOAN. RIVIVS Atthens  
doriensis s. d.



N TIBI, PRINCEPS OPTIS  
me, de renouata doctrina Ecclesiastica  
per exiguum quidem, sed agentem ma-  
gnis de rebus libellum. Nam quia plae-  
riq; hostes Euangeli sic planè agunt,  
quasi nullus unquam extiterit in Eccle-  
sia error, & quasi nihil ad utilitatem mortalium attulerit  
hac instaurata doctrina fructus, usum mihi est, quanto in  
errore uersentur, breuiter hic ostendere. Ne uero, ne me Lu-  
therum ipsum protinus defendendum suscepisse pu-  
tent. Nam nec primus ille quidem, nec solus, restituenda  
antiquum in statum doctrinæ Euangelicæ iampridem au-  
tor extitit etiamsi nemo neque plura eo uiro, neque meliora  
prestitit. Ac si quid ille uspiam errauit ( quod nec nouum  
certè cuiquam, nec mirum accidere oportebat ) si quid ta-  
men errauit, nihil id quidem ad causam nostram. Neque  
uero me patrocinium eius uiri suscipere est necesse, qui qui-

A ij dem

EPISTOLA DEDICATORIA.

dem suam ipse agere causam unus omnium potest optime.  
neque alienam p̄f̄stare culpam æquum esse existimā-  
dum est. Quid multis? Si quid habent, quod ad ea demum,  
quaæ hic breuiter sunt à nobis percursa atque perstricta, re-  
spondēdūm putent, pergratūm mihi fecerint, si in medium  
afferant. Ego neminem mortalium sequar autorem, sed  
illum demum, quem cœlitus emissa uoce P A T E R audi-  
ri iussit. Cuius in sententia tamen interpretanda si quid  
fortè erro (quemadmodum quidem errare possum) corrigi  
ab ijs, optime Princeps, & ab errore deduci, magnopere  
uelim. Bene uale, Princeps inclyte, me que  
(ut facis) tibi commendatum habe.

Lipsiae Nonis Martij.

Anno

M. D. XLI.

Ioan.

# IOAN· RIVII

ATTHENDORIENSIS

DE RENOVATA DOCTRINA

ECCLESIASTICA

LIBELLVS

Ad Illustrem Principem Mauricium  
Hennerichi F.



VOTIES FORTE IN MEMOR  
riam redeo, Princeps, quę fuerit  
per tot retrō secula mortalium  
in rebus ad salutem spectantio-  
bus, cum primisq; scitu necessa-  
rijs, ignorātia & cæcitas, quæq;  
in omnium animis offusa caligo, toties immen-  
sam Dei Opt. Max. bonitatem & clementiam,  
uerēq; paternam erga nos charitatem admirari  
subit qui quidem nobis, cùm nec opinantibus  
planè, tum nihil tale unquam neq; promeritis  
nec sperare ausis, ubi quorundam prius illu-  
strasset hominum piorum mentes, perq; hos  
caeteris deinde quasi facem prætulisset prælu-  
xissetq; coruscam repente Euangelij sui lucem,  
quasi ablatum terris solem reddidit. Quis enim

A iij nescit,

DE R E N O V A T A

nescit, quām densis antehac ignorantiae & erro  
rum tenebris fuerit circunfusus orbis: quanta  
doctrinæ Christianæ offusa nox, per eos maxi-  
mè, qui quum adhibere lumen ei deberent, ob-  
scuritatem magis attulerunt, ac rebus interdum  
per se illustrissimis tenebras quasdam obduxer-  
unt. Sed enim ut animalia quædam clarissi-  
mum hoc iucundissimumq; syderis diurni lu-  
men intueri nequeunt, sic hodie quidam (heu  
cæcitatem mentis) illam denuo singulari Dei  
beneficio nuper exortam Euangelicæ doctrinæ  
lucem, aspicere hallucinantibus oculis ferre  
que nullo modo possunt. Quum interim ho-  
mines p̄ij, religionisq; ueræ studiosi, maximas  
Deo de hac tanta erga humanum genus bene-  
ficiencia & immensa charitate, gratias semper  
agant. Id' que meritissimo illi quidem Ingratitu-  
do nanq; est maxima, atq; adeo potius execran-  
da quædam impietas, non agnoscere hanc tam  
eximiam munificentiam, & tale tantum' que nu-  
minis æterni beneficium, quo nullum ego un-  
quam maius melius ue terris dari potuisse iudic-  
co, quod' que pia grata' que semper commemo-  
ratione prædicandum, & omnibus modis am-  
plificandum, efferendum' que meritis laudibus,  
ac gra-

DOCTRINA ECCLESIASTICA.

ac gratissimis animis prosequendum iure erat.  
Quia uero identidem ex nobis , quidā redeun-  
tis pristinum in statum Euangelij hostes , quæ  
rere insistunt, quid tandem orbi hæc restaurata  
doctrina commodi boniç tulerit , uisum mihi  
est faciendum , ut quām breuissime planissi-  
mēç possem, hoc totum illis explicarem, ac cō-  
siderandum quasi ante oculos ponerem . Necç  
uero altius omnia repetam , ac si qua præterita  
forsan à nobis(ut sunt plæraç)uidebuntur, ea  
non magis hīc prætermissa esse, quām consulto  
relicta,in nostrum'que de superstitione ueteri  
librum reseruata , sibi quisque persuadeat ue-  
lim.

Ergo ex hac renouata nuper doctrina, cūm  
alia sanè plæraç multis ignorata seculis , tum  
hoc quoque didicimus (ut hinc potissimum or-  
diar) nō externo cultu nec amictus obsoleti sor-  
dibus uerè Christianū effici, non peruigilijs aut  
inedijs, non præscriptis ab homine uiuendi legi-  
bus, non ceremonijs denique repertis' que à nos  
bisip̄is Dei colendi ritibus, ita ut falso plærisç  
persuasum antehac fuit . Qua re ergo tandem?  
Fide uera ac syncæra , per' que charitatem (ut  
Apostolus inquit ) efficaci.

Hinc

Hinc didicimus quum ex operibus legis diuinæ iustus sit apud Deum nemo, multo profectò minus è Regula quenquam Francisci, ubi de fide in Christum mentio nulla, assequuturū iustitiam esse. Quanta ergo dementia, quanta animi cecitas, neglecto propemodum Christo, plus humanis tribuere præscriptis, quam Euangelio ac Christi præceptis. Id nationem fecisse Monachorum, tot cultus testantur, tot Ordinum genera, tot ceremoniæ, tot ritus quæ sunt instituta hac opinione cuncta, quod ualere ad conciliandam per ipsa Dei gratiam, & impetrādam ueniam delictorum, crederentur. Ignorabant enim miseri, aut certè propter offusam menti caliginem cernere, ac cogitando reminisci haud poterant, hominem per seipsum nequam, neque propter merita sua & operū dignitatem, sed per misericordiā propter Christum gratis remissiōem peccatorum consequi, iustū censeri, à peccato, morte, gehenna liberari, accipere salutem, æterna deniqz uita donari. Hæc doctrina fidei iustitiaeç Christianæ, heu quot seculis fuerat uel obliuione mortalium sepulta atque obruta, uel innumerabilibus penè superstitionum erroribus contaminata, uel op̄ pressa

DOCTRINA ECCLESIASTICA.

pressa penitus atq; extincta . At hodie ( gratia Christo ) assidue ea uulgi auribus inculcatur , per eamq; nunc & Dei gloria illustratur , & beneficium Christi agnoscitur , & conscientijs atque animis imbecillibus consuluntur , & superstitionum errores tolluntur . Etenim iampridem mortales non Deo ipsi , nec filio Dei redemptoriq; Christo , sed operum suorum dignitati , meritis uirtutibusq; suis , salutem acceptam ferebant . Et in illis conscientiæ angoribus , quoties per legem terrere Diabolus , & obijcere peccatum , & admissa per omnem uitam scelera flagitia que institisset , atque ita & iram iudiciumq; Dei , & inferorum cruciatus ad memoriam resuocare , propè ad desperationem & diffidenciam de salute sua , miseri adigebantur mortales . Neque enim didicerant , neque unde discesserat erat , appræhendendum fide esse talibus in rebus unum Iesum Christum crucifixum , uitæ iustitiamq; nostram , aduocatum & patronum nostrum in coelis , cuius fiducia unius ac misericordia gratuita niterentur atque confiderent . Hæc una enim firma certaq; est consolatio conscientiæ , cum in uarijs atque innumerabilibus ærumnis & afflictionibus uitæ , cum in pericu-

B lo atque

D E R E N O V A T A

lo atque agone ipso mortis , nihil addubitare ,  
quin propter Christum recipiamur in gratiam  
patris , quin Deum patrem Christus , sacrosan  
cti corporis sui uictima , ex offenso & irato pro  
pitium placatumqz nobis reddiderit , quin idem  
sanctissimi sanguinis sui lauacro , peccata omnia  
credentium in ipsum abluerit ac purgarit . At  
que hæc demum fides iram placat Dei , hæc uer  
e iustum efficit non opera meritaqz nostra ,  
quantumuis illa quidem in speciem honesta at  
que pia . Etenim quamvis opera quis externa  
ciuiliacqz præstet , non furetur , non occidat , non  
alia denique in se flagitia scelera que ulla admits  
tat , immundum tamen semper cor est , ac impur  
is cuiuscunque generis affectionibus inquina  
tum & contaminatum , nec aut metuit satis  
amatue Deum , aut fiduciam in eo penitus om  
nem collocat . Sed pergamus porro .

Hinc didicimus , iam inde ab ipsis mundi  
primordijs Euangelium semper extitisse , hoc  
est , diuinitus reuelatam promissam que pecca  
torum condonationem , ex gratuita misericor  
dia Dei , propter Christum .

Hinc didicimus , credentibus si quid fuerit  
peccati reliquum ( ut esse confitendum est ) id

non

DOCTRINA ECCLESIASTICA.

non obiectari & imputari eis, sed propter Christum condonari. Hinc didicimus, quamuis exagi uideamus in scripturis opera bona, suis tamen neminem efficere viribus posse quod praecipitur, sed supplere de suo bonitatem ac benignitatem erga nos Christi quod viribus nostris deest. Quocirca nec meritis & actionibus nostris accepta ferenda est remissio peccatorum, sed uni misericordiae Dei, per fiduciam erga redemptorem Christum.

Hinc didicimus, non tam externam rituum humanorum obseruationem requirere Deum, quam interiores illos ac reconditos motus cordis, uelut fidem cumprimis, inuocationem, patientiam, timorem, gratiarum actionem, & huiuscmodi alios. Et quamuis suam mereantur externi cultus & officia ciuilia laudem, his tamen esse omnibus anteferendum illum interiorum cultum Dei, constantem fiduciam misericordiae in inuocatione, spem certam exploratamque auxiliij diuini in cuiuscunque modi periculis et tentationibus, & aerumnis laboribusque uitae.

Hinc didicimus, pietatem ueram in rebus esse a Deo praeceptis positam, non in earum hypocrisi rerum, queis de nulla uspiam dederit

B. n. mandata

D E R E N O V A T A

mandata Deus. Ut frustra suspiciant atq; mis-  
rentur illa prodigiosa quidam, ac se hominum  
oculis uendantia & ostentantia opera, simula-  
tionem paupertatis, uestium sordes, longa &  
superstitiosa iejunia, prolixas preces & cantio-  
nes, susceptos ultro cruciatus ac lacerationes  
corporis, atq; id genus alia, Quum, si uerè atq;  
incorruptè iudicare uolumus, acceptiora Deo  
sint illa communis uitæ officia, quam hæc ab  
hominibus reperta atq; instituta opera bona.  
Quid enim? A'n minus tādem quisquam Deo  
ancillam placere credat, quum pauimentum  
uerrit, quum sternit lectos, quum prandium  
parat, aut seruum quum equos curat, quum li-  
gna cædit, quum quid aliud muneris & offi-  
cij sui obit atq; exequitur, quam aut legentem  
horas suas sacrificum, aut prolixè orantem Mo-  
nachum: Heu, quam depravatè hodie iudica-  
mus. Hypocriticam uitam magnificimus, uerè  
piorum opera penè pro nihilo habemus.

Hinc didicimus, ceremonias in Ecclesia  
plærasc; ad exemplum esse Mosaicarum insti-  
tutas, has'q; ipsas quoniam nullum prorsus ha-  
bent ex uerbo iussuq; Dei momentum atq;  
pondus, aliud ferè esse nihil, nisi leues nugas, &  
quasdam

DOCTRINA ECCLESIASTICA.

quasdam penè simias religionum Iudaicarum. Ex ijsdem porro, quoniam plæræq; sint cum impietate coniunctæ, necessarias solum esse retinendas, impias autem abrogandas. Cumq; ob id demum repertæ in Ecclesia ceremoniæ sint, omnia ut rite atq; ordine gerantur ac fiant, iuxta doctrinam Pauli, non esse ullo modo credendum, ueniam per eas peccatorum quenamquam impetrare, & adipisci salutem neq; aut iustitiam Christianam eas esse, aut uero cultum diuinum, hoc est, eiusce generis atq; modi res, quas requirat in hoc Deus, uti eo ipse quasi honore afficiatur.

Hinc didicimus, uitam Christianam consistere cùm in uera fide erga Deum intus, tum in charitate erga proximum foris. Ut ualde profecto desipient & delyrent, qui fide charitatemq; neglecta, in externis quibusdam ritibus & obseruationibus legis, atq; adeo potius in reperitis ab se cultibus, in amictu, iejunis, regulis, Ordinibus, in alijs hoc genus nugis atq; in eptis Christianismi summam collocant. Nec enim externis ceremonijs Deus, sed mente per fidem expurgata, per charitatem ad bene semper de alijs merendum exposita delectatur.

B iii Hinc

DE RENOVATA

Hinc didicimus, debere suæ quenç seruï  
re uocationi (ut scripturæ consuetudinem lo-  
quendi seruem) ac nihil unquam suscipere sine  
certo mandato Dei. Neq; aut alterius repræ-  
hendere genus institutumq; uitæ, aut nisi quod  
ipse fecerit, nihil rectū putare. Qua in re quam  
grauiter quondam peccatum sit, quis hodie  
nescit? Suas enim Monachi ceremonias, ab ho-  
minibusq; repertos atq; institutos ritus, alio-  
rum officij uocationi suæ seruientium præfe-  
runt atq; anteponunt. Virgo Deo consecrata  
suum uitæ institutum cùm sanctius piumq; ma-  
gis, tum acceptius Deo esse credit, quam matro-  
næ coniugis. Itidem sacrifici, propter horas illas  
suas Canonicas (ut uocant) prophanis sese ion-  
gē præstare censem. Quanto demum rectius,  
magisq; pietati religioniq; nostræ consentaneū  
fuerit, si in eo quisq; uitæ genere, ad quod est à  
Deo uocatus, suum officium strenue faciat, ac  
neq; alijs interim sese præferat, nec aut cætero-  
rum opera, quamuis in speciem uilia, despiciata  
habeat, aut sua potiora esse ducat. Ne multa, si  
in suo quisq; officio, alijs alijs inuicem per chari-  
tatem mutuam seruiant, id homine Christiano  
dignius esse iudicandum est.

Hinc

DOCTRINA ECCLESIASTICA.

Hinc didicimus, unius opidi pastorem, si quidem recte munere & officio suo fungatur, multis anteferendum esse monachis, quantumcumque & piam fortè, & austera uitam agentibus. Namque hic ferè tranquillam & remotam ab omni iactatione populari uitam agit, sibique demum non alijs uiuunt ille pascendo sacra doctrina grege dominico, salutem aliorum procurat, & in uiuando seruandoque proximo labores assiduos subit quo est in omni genere Christianæ uirtutis sanctius ac præstabilius nihil.

Hinc didicimus, non tam pie facere principem, si aut Missas aliquot fundet (ut isti Gotthi loquuntur) aut monasterium nouum extruat, quam si in deligendis Ecclesiæ præfectis, dominicisque gregis pastoribus, operam omnem posnat.

Hinc didicimus, si opera bona fiducia quādam adipiscendae iustitiae fiant, iam peccata ea esse sin ad usum & necessitatē proximi, propterque charitatem, iam merita esse, atque ita accepta sibi gratiaque eādem habere Deum.

Hinc didicimus, errare qui hoc consilio facultates ultro abijcant & repudient suas, quasi aut pergratum ea re faciant Deo, aut hunc trans  
quam

D S R E N O V A T A

quam cultum sui probet exigatq; Deus, ita uti  
plæriq; olim fecere. Sed eam demum probari.  
Deo facultatum abiectionem, quæ ipsius ha-  
beat mandatum Dei. Cuiusmodi (uerbi causa)  
est, quum tyrannus forte, aut amittere faculta-  
tes, aut desiscere ab Euangelio cogit. Hic nan-  
que pia est probandaq; repudiatio facultatum  
propter liberam & cōstantem Euangeliū ipsius  
professionem. Ob quam non facultates solum  
Christus, uerū etiam parentes, coniugem, li-  
beros, atq; adeo uitam ipsam, & si quid uita  
charius, deferere ac relinquere iubet. Er-  
go non Monachorum solum est abiicere sua  
(qui maximus quondam error) sed omnium  
prorsus Christi fidem profitentium, quos hoc  
omneis esse animo oportet, ut si quid eiuscemo-  
di postulet aut Dei gloria, aut animæ salus,  
cuncta libenter sint pro derelictis habituri.

Hinc didicimus, non debere quenquam  
sibi ipsi ultro accersere malum, sed aut immissas  
ab Deo calamitates, aut iniurias ab homine il-  
latas, æquo semper animo perferre ac pati.

Hinc didicimus, esse Iudaicum planè atq;  
hypocriticum, confidere meritis suis. Christia-  
num uero, diffisum ijsdem fiduciam cunctam:  
ponere

DOCTRINA ECCLESIASTICA.

ponere in immensa bonitate Dei , per quam  
unam salus cōtingit omnibus, quicunq; perfus  
gium ad eam receptumq; habeant.

Hinc didicimus, non minus execrandum  
esse qui meritis iustificationem tribuat, quæ uni  
debetur fidei, quam qui saxa adoret, & à simula  
cris opem petat.

Hinc didicimus, sanctos esse, non qui celi  
bem agant uitam, qui superstitiones quasdam,  
sed in speciem pias atq; præclaras ceremonias  
seruent, qui aut uinum in totum , aut carnium  
esum respuant, qui humi cubent, qui sordidati  
incedant Obstipo capite , & figentes lumine  
terram, ut Persius inquit Sed qui per baptismū  
renati, se Christi morte & sanguine sanctifica-  
tos atque mundatos esse , persuasum sibi ha-  
beant. Breuiter, quotquot in Christum cres-  
dunt, & ex præscripto uerbi Dei, in sua quisq;  
uocatione officium suum faciunt , ac propter  
Christum libidines comprimunt , cupiditates  
omneis coērcent, necq; se uicījs atq; sceleribus  
contaminant et inquinant, hos demum sanctos  
esse scimus.

Hinc didicimus, non esum carnium ijs qui  
bus interdictum sit diebus, non cultum aut ami-

C      ctum

Etum elegantiorem, non denique rituum & ceris  
moniarum quarundam neglectum sed malicio  
sam de fama proximi detractionem, ulciscendi  
libidinem, obscenitatem sermonum, atque hoc  
genus alia, necessariam quandam mentis impiæ  
significationem dare, eoque non temere de pro  
ximo iudicandū ex eiusmodi quidem omnino  
signis, quæ ambigua atque controuersa sint,  
quæque in dubium ipsa uocari iure merito que  
possint.

Hinc didicimus, opera illa quæ frenum  
quodammodo iniiciunt carni, ne lasciviat fero  
ciatque aduersus spiritum, qualia sunt, abstinen  
tia ab lautioribus cibis, crebra ieunia, peruigio  
lia, ad hominis præscriptum uiuendi necessitas,  
& hoc genus alia, quibus domatur subigitur que  
caro, quamuis pluris à multitudine imperita  
fiant, plusque uideantur ad salutē adipiscendam  
habere momenti, non esse tamen ullo modo  
cum ijs, quæ proprius ueram pietatem attingūt,  
conferenda cuiusmodi sunt, uincere iram, depo  
nere odium ac simultatem, reprimere ulciscen  
di libidinem, inanem gloriam repudiare, aliorū  
iniurias & quo animo ferre, alacrem in afflictio  
nibus esse, nulla cuiusquam peculantia ab men  
tis

DOCTRINA ECCLESIASTICA.

tis tranquillitate dimoueri, maleuolos beneuolentia & amore complecti, deuouentibus bene precari. Priore in genere sane' quam multos res perias, qui se strenue omnino gnauiter'q; gerant. Videas inedia macilentos, laboribus frateratos, attenuatos uigilijs, pallidos, strigosos. Quibus rebus simplices atq; imperiti ferè pietatem aestimant. Sed quotumquenq; tandem res perias, qui inimicos diligat, qui contumeliam moderate ferat, qui iniuriam beneficio penset quæ præcipue Christus suorum auribus inculcat. Quid, quòd nō aliunde ferè magis animos sumunt homines, quam ex illa externa, et se uulgi oculis uenditante, hypocrisy operū honorū? Quid, quòd superstitionis eadem, & animo penè Iudaico obseruantur, quasi summa in his consistat pietas: quum quidem perexiguam afferant utilitatem, nisi posterioris generis accedant & adsint opera bona, ad quæ haec altera, uelut subservientia, adhiberi interim oportet. Falsa ergo illa est opinio sanctitatis & religiosnis, ex operibus hisce externis, ieunijs, uigilijs, & similibus. si animus ipse impurus sit, flagitijsq; ac sceleribus contaminatus, ambitione, auaricia, ira, inuidia, fastu, similitate, cæsi

C iij terisq;

DE RENOVATA

teris'que hoc genus pestibus.

Hinc didicimus, non esse Pontificiam illā criminum abolitionem, quas Indulgentias uocant, non fabricas ecclesiarum, nō institutiones altarium, memoriarum, anniuersariorum, reliquiarū id genus innumerabilia penē, uulgi auribus inculcanda sed amorem cum primis fiduciām̄ erga Deum, & illam à Christo præceptam, ab apostolis inculcatam, nimis hodie negligetam φιλαδελφιαν, & charitatem fraternalm.

Hinc didicimus, non debere sibi quenquam uniuere, nec in solitudinem semet abdere, sed & omnes uitae actiones, & consilia studiorū cuncta, ad utilitatem salutemq; proximi dirigere ac referre.

Hinc didicimus, non esse consecrandos ad canendum in templis sacerdotes, sed ad annunciatandū multitudini Euangeliū ipsum Christi.

Hinc didicimus, quod Christus uetat resisti malo, non consilij esse, quemadmodū perperam olim quibusdam uisum, sed præcepti.

Hinc didicimus, qui in solitudinibus aut Cœnobis degant, hosce non sanctius quidem cæteris, sed securius tranquiliusq; uiuere.

Hinc

## DOCTRINA ECCLESIASTICA.

Hinc didicimus, in suscipiendo atq; insti-  
tuendo cultu Dei, caput esse, interpretari quæ  
uoluntas Dei ipsius esse uideatur nec esse ullam  
apud Deum pietatem gratam, nisi quæ nusquā  
deflectat ab unius nutu uoluntateq; Dei.

Hinc didicimus, magis esse perpetuæ so-  
brietatis atq; temperantiae, quam delectus cibo-  
rum ducendam rationem.

Hinc didicimus, istos sumptus quibus ad  
cœlum extruuntur tempula, rectius in orpha-  
nos, atq; uiduas, & pauperes collocari. Nec  
tam Deo dari, quod monasterijs datur, quam  
quod ab omni ope destitutis uiduis & pu-  
pillis.

Hinc didicimus, non esse ob constitutio-  
nes humanas, uiolandas leges diuinæ.

Hinc didicimus, libertatem Christianam  
in eo esse sitam, non si cupiditatibus ipsi nostris  
indulgeamus, & quæ nobis cunq; libeat facia-  
mus, sed si à lege, peccato, morte liberam pro-  
pter Christum conscientiam habeas, ac nihilo  
interim minus, quod ad corpus attinet, per cha-  
ritatem seruias proximo, & qua re cūq; possis,  
iuues.

Hinc didicimus, non esse ob paululū num-

C iij morum

DE RENOVATA

morum quenquam numero impiorum labens,  
dum, aut diris omnibus defigendum.

Hinc didicimus, syncærām & germanam  
pietatem, animi puritate niti superstitionem ces-  
rimonij sese uenditare.

Hinc didicimus, quod de mundo sacris in  
literis dicitur, non ad communem esse Christia-  
norum uitam detorquendum nec quod de se-  
quendo Christo, ad uitam monachorum. Reli-  
giosos esse, non qui in uerba Francisci iurarint,  
sed quicunqz Deum uerè colant, & præcepta  
eius obseruent. Fratres inter se esse, non Mona-  
chos solum & factitijs sodalitatibus foedera-  
tos, sed omnes omnino inter se Christū pro-  
fessos.

Hinc didicimus apparitiones istas umbra-  
rum, meras esse imposturas Dæmonum, aut  
aniles fabulas hominum.

Hinc didicimus, non posse aqua lustrali,  
purgari labem mentis. Hinc didicimus, non  
esse Diuūm aliquem adoptandum patronum,  
qui patronum habeamus in coelis Iesum. Hinc  
didicimus, longinquas istas religionis ergo pe-  
regrinationes, nullum habere inter opera bo-  
na locum.

Hinc

## DOCTRINA ECCLESIASTICA.

Hinc didicimus, uerè Apostamat esse, nō magis qui repertum ab homine uitę institutum delerat, quām qui ab imperatore Christo, cui dederit in Baptismo nomen, ad illum denuo, cui renunciare sese promiserit, hostem Satanam desciscat.

Hinc didicimus, regulæ Dominici aut Francisci, præferendum esse Euangelium Christi.

Hinc didicimus, maiorū nostrorum insti tuta, si cum diuinis uideantur legibus pugnare, in disceptationem merito quæstionemq; posse uocari.

Hinc didicimus, ita demum multitudinis consensum esse nobis sequendum, si cum doctrina sacra, & cum Dei congruat præceptis. Nec esse proceribus ecclesiæ parendum, si quid præcipiant aut uetent, repugnante uerbo Dei.

Hinc didicimus, impium aliquem diuinis iurebus tolli abusum posse, non adhibita etiā autoritate, aut interposito iudicio Ecclesiæ ipsius Romanæ.

Hinc didicimus, omnem cultum Dei, quo de nulla uspiam dederit mandata Deus, ab hominibus quamvis pijs repertum atq; institutū, quandam

DE RENOVATA

quandam esse penè Idololatriam.

Hinc didicimus, esse parendum ac obedire  
endum Christo, & institutionem eius seruans  
dam, etiamsi non accedat consensus & autoris  
tas procerum ecclesiæ Romanae.

Hinc didicimus, quamuis Petri fides dura  
tura usq; in finem mundi sit, neq; ullo tempore  
defectura, non constare tamen certo, neq; pla  
nè liquere, perpetuo eam permâsuram Romæ,  
aut hoc illo' ue loco. Etenim ut nec Hierosoly  
mis eadem amplius, necq; Antiochiæ sancte est,  
sic fortasse nec Romæ futura semper est. Nihil  
quam enim scripture sacra testatur, permansi  
ram perpetuo fidem Petri Romæ. Vbicunque  
ergo uerbum diuinum, & uerè Christiana Fi  
des est, ibidem Ecclesiam quoq; Christi esse, iu  
dicandum est. Ergo ut extra ecclesiam sit nulla  
salutis spes, nō est ecclesia tamen aut ea solum,  
quæ Pontificem ipsum agnoscat Romanum,  
aut quæ uerbo Dei repudiato, somnia com  
mentaç; hominum probet. Atq; ut non teme  
re sit ab ordinaria potestate, quæ gerat ecclesiæ  
titulum descendum, ab eiusq; imperio defi  
ciendum, tamen uerbum ipsum Dei manifestū,  
longè est titulo ecclesiæ, ac uniuersæ deniq; au  
toritati

DOCTRINA ECCLESIASTICA.

toritati humanæ preferendum. Deniq; ut usus & administratio sacramentorum ualeat propter mandatum & institutionem diuinam, ut maximè sit uita ministrorum corrupta, & contaminati mores, impia tamen sacerdotum atq; antistitium doctrina, est omnibus modis respuenda.

Hinc didicimus, quum sancti & in uita sæpe peccarint, & errarint in doctrina, extremæ ferè dementiæ esse, eorundem facta uel dicta cùm pro diuinis propemodum regulis, & exemplis pietatis habere, tum ad imitandum quoq; nobis ea proponere. Etenim fatendum est, etiam accepto spiritu, errare tamen, labi, & peccare sanctos. Sic in Actis Lucas, inter Barnabam & Paulum tam acrem extitisse disceptationem testatur, alter ut ab altero continuo sesiungeretur. Sic ipse apostolorum princeps Simon Petrus, post acceptum iam spiritum sanctum, tam grauter errauit, necesse ut Paulus haberet asperius eum coram ecclesia obiurgare, docere, ab errore deducere. Id quod ipsem et alibi testatur Paulus, iam quum inter dona spiritus, & genera linguarum, & interpretatio sermonum commemoretur à Paulo, nemini

D prorsus

DE R E N O V A T A

prorsus in dubium uenire potest, quin & Au-  
relio Augustino in explicandis literis sacris,  
& Cecilio Cypriano (ut iam alios omittam)  
affuerit hoc spiritus sancti donum. Et tamen  
huius pleraque sunt ab orthodoxis reiecta, ille ul-  
tro sua quædam recantauit. Quid an Hierony-  
mo defuit linguarū donum? Negabis opinor.  
At quoties ille interim est lapsus? Ne multis  
dona sua spiritus arcanis ipse modis ac imper-  
scrutabili nobis consilio rationeque utcunq; nu-  
mini eius uisum, ita dispensat, citius ut admirari  
quisquam & suspicere, quam aut intelligere  
facile, aut querendo inuestigare debeat & pos-  
sit. Hinc illa saepe multorum hæsitatio, quidnā  
causæ sit, cur Synodus interdum Christiana, &  
Concilium in spiritu sancto coactum eret  
quum in Euangeliō tamen seruator, ubiuncq;  
sint duo uel tres cōgregati in nomine ipsius, ibi  
se esse in medio eorum testetur. Nam certè (ut  
iam alias mittam) Synodus illa quondam Car-  
thaginensis, ubi tot episcopi ex Aphrica, Nu-  
midia, Mauritania, uiri & doctrina & sanctitas  
te præcellentes, cum præsbyteris atque dia-  
coni conuenerant, in retingendis hereticis  
errauit. Aut igitur fateamur hanc Synodum  
non

DOCTRINA ECCLESIASTICA.

non errasse, & in sententiam anabaptistarum ibimus aut non fuisse tam sanctos patres (in quibus tot Christi confessores, tot martyres, in his que Diuus Cyprianus) in nomine Christi congregatos, id quod dictu quoque nefas. Quid ergo est? Nimirum hoc totum admirabile quadam stupendaque donorum spiritus sancti dispensatione factum esse statuendum est, quam nullus mortalium intelligentia assequi, nulla vox humana eloqui et efferre potest. Vbi nunc sunt, qui Concilia errare non posse contendant? Neque idcirco tamen, coacta in spiritu sancto fuisse Concilia negamus. Sed hoc dicimus, Spiritum illum coelestem Concilia quedam errare passum esse, idque arcano quodam & admirabilis consilio, quod nec facultatis nostrae sit peruestigare, nec modestiae Christianae perscuntari. Hoc scimus, potuisse spiritum sanctum omni ignorantia congregatos in synodo patres, & omni errore liberare cur id autem minus fecerit, haudquaquam scimus.

Sed iam quæ obiecti contra possint, breuiter confutemus. Non minimam ex his (inquit) quæ commemorata nunc sunt, partem, iam ante quæ norat orbis. Quid ergo hæc doctrina

Dijna

## DE RENOVATA

na noui affert: quid ignoratum prius docet? Fa-  
teor nihil hic prorsus afferri atq; doceri noui,  
nihil quod non aut Christus ipse docuerit, aut  
repetierint Apostoli, aut ueteres illi ecclesiæ  
Doctores græci latiniq; inculcarint, Denique  
nullum est hic dictum, quod non sit dictum  
prius ut Comicus inquit. Quid ergo? Tantum  
quæ iam multis retro seculis adducta in obli-  
uione in fuerant, in memoriam rediguntur que  
nugis & commentis hominum contaminata  
& deprauata, corriguntur & emendantur  
quæ minus probè intellecta, planius enarran-  
tur. Quanquam quidem, ut nihil etiam doceat  
noui, uetera tamen permulta dedocet: quod  
iam ipsum planè nouum esse uides. Quis enim  
hodie tanti facit (ut quondam) Indulgentias  
Pontificias, bullas Romanas, incertas reliquias  
Diuūm, commenticias de Diuis fabulas, por-  
tentosa miracula, peregrinationes, uota, Fra-  
ternitates, cucullos, regulas, Ordines, atq; hoc  
genus alia? Vbi iam apparitiones mortuorum?  
Vbi umbræ & spectra? Vbi crebra illa mentio  
sacrorum pro defunctis, memoriarum, anniuer-  
sariorum, oblationum, uigiliarum? Harum simi-  
liumq; rerum paulatim abolitio, nonne & no-  
ua plane

DOCTRINA ECCLESIASTICA.

ua planè & permira nobis accidit. Sed ad insitum. Si nihil hæc doctrina, testibus aduersarijs ipsijs nouum aut inauditum antea affert, cur sic eam ipsi oderunt? cur damnant? cur ad nihil redactam prorsus extinguere conatur? Ob ad mixtas hæreses, inquiunt. Quas tandem? Aueo enim audire. Operibus bonis( inquiunt ) minus tribuit hæc doctrina, quam esse par uideatur, ut quæ nullius ferè esse ad salutem momenti ducat. Quid ais? Quando ergo unquam tam preclarè commendata sunt opera uerè bona, quam post hanc doctrinam, per quam genus humanum Deus ab ignorantia tenebris extractum(ut supra dixi) ad ueritatis lucem excitat? Quando sic Decalogus, ubi continetur quicquid esse potest operum bonorum, expositus & inculcatus est auribus animisq; iuuenium & senum, ut hodie à Lutherò, & alijs quibusdam uiris doctis atq; pijs? Nam illa pugnantia cum Dei præceptis hominum statuta, nihil moror. Eos tantum reprehendit hæc doctrina, qui meritis suis nituntur, qui confidunt operibus, qui ex se ipsi satisfaciunt peccatis, qui coelū benefactis suis deberi putant, qui superflua sibi opera bona( si dijs placet) uendunt. Neque ab

D ij hominibus

D E R E N O V A T A

hominibus repertos atq; institutos Dei colen-  
di ritus, diuinis patitur aequari præceptis, mul-  
to minus anteponi. Superstitiosas deniq; de  
cerimonij Ecclesiasticis opiniones damnat  
ipsas ceremonias tamen, si sit impium in his ni-  
hil, obseruandas esse docet, ne quod infirmis at  
que imbecillæ fidei fratribus offendiculum  
præbeatur. Extra scandali casum, omitti posse  
nec id esse peccatum, ni contemptus accesserit  
maliciosus. Quid tandem est, quod in hac sen-  
tentia quisquam damnet? Nam quod meritis  
humanis ascribi salutem uetat, ut quæ per euau-  
gelium, fidem, & gratiam detur omnibus, in eo  
nihil sane peccat. Imò plane idololatras esse su-  
scipiendum est, quicunq; iustificationem meri-  
tis & uitam æternam deberi putant, neq; hos  
minus execrando, quam qui Diuūm simula-  
cra colant. Quanquam nihilo interim minus  
hoc statuendum etiam est, hominem fide iustifi-  
catum, uelut arborem bonam, fructus edere &  
proferre bonos. Etenim quisquis uerè credit,  
sine ulla dubitatione fit spiritus sancti parti-  
cps. Iam spiritus intra nos commorans, non  
patitur esse legnes & ociosos, sed ad omnia im-  
pellit officia pietatis, Dei proximiq; amore in-  
cendit

DOCTRINA ECCLESIASTICA.

cendit & inflammat, in aduersis confirmat, solat  
mœstos, afflictos erigit, errantes in viam ref  
uocat, ad invocationem, gratiarum actionem,  
perpetuam laudationem Dei semper excitat,  
urget, impellit. Nec tamen sic protinus homi  
nes transformat spiritus, omnino ut perfectum  
& ab omni parte inculpatum reddat, naturæq;  
uicia semel omnia tollat, sed quasdam semper  
patitur sui cuiuscq; ingenij reliquias residere, &  
quendam quasi somitem in hominibus p̄ijs re  
linquit. Itaq; orandus est perpetuo Deus, ut  
spiritus sancti in nobis gratiam, indies magis  
augere, huius afflatu uiuificare animos nostros,  
consolari, docere, gubernare, & sanctificare assi  
duè dignetur. Non igitur (ut tandem finiam)  
opera bona damnat hæc doctrina, nec his nihil  
in uita tribuendum dicit, sed ad expiationem  
peccatorum, & ad adipiscendam salutem, quæ  
una in fide posita est, ualere opera negat.

At enim monasticam uitam non admodū  
probat. Quid ni? quum nemo ferè iam igno  
ret, plus esse uanæ in ea superstitionis, q; ueræ  
ac syncæræ pietatis nec ad sanctitatem ullo mo  
do facere, aut amictus obsoleti sordes, aut res  
motum ab hominibus locum. Quare pius ille  
Pontifex

DE RENOVATA

Pontifex Gregorius Magnus, Sæpe (inquit) dum de uita proximorum querimur, mutare locum conamur, & secretum uitæ remotioris eligere, uidelicet ignorantes quod si desit spiritus, nihil adiuuet locus. Loth in Sodomis sanctus extitit, in monte peccauit. Quod autem loca mentem non muniunt, ipse humani generis primus testatur parens, qui in Paradiso cecidit. Nam si locus saluare potuisset, Satan de coelo non caderet. Sed & Bernardus, Regnum Dei intra uos est (inquit) hoc est, non exterius in uestimentis, aut alimentis corporis, sed in uitutibus interioris hominis. Iam quantum cucullo quidam tribuant, quasi iustitiæ planè conferat, cum Gregorius ipse docet, qui habitum quosdam non animum mutasse, nec de commutata in melius uita, sed de solo exterius habitu quem sumplerint, sanctitatis habere fiduciam testatur. tum uero id ipsum arrogantissimus ille, quem sibi uindicant, perfectionis titulus indicat. A qua tamen quam longè absint, idem ille Gregorius alicubi ostendit, quum quosdam religiosa ueste sumpta, interim iræ stimulis immuniter agitari, superbia fastuq; efferrri, lucra denique inhianter querere affirmat. Quid, quod persuasum

DOCTRINA ECCLESIASTICA.

persuasum hactenus cunctis ferè mortalibus  
fuit, qui in ueste Franciscana mortuus elatus  
esset, nihil in eum Dæmoni esse iuris? Vides igi  
tur, quām magnificè de se monachi, dēcūz cucul-  
lo suo senserint. Quasi uero aliquid in se omni-  
no cucullus ad salutem consequendam momen-  
ti aut necessitatis habeat, ita uti peruersa opinio  
monachorum finxit. Quæ mehercule mihi  
quēdam planè Idololatria (absit inuidia dicto)  
fuisse iam pridem uidetur. Etenim qui in cucul-  
lo demum multo maximam spei suæ partem si-  
duciāz collocarint, an nō Deum sibi quodam  
modo cucullum fecisse existimandi sunt? Et  
quia neglecto ac repudiato uerbo Dei, nouos  
sibi ipsi reperere cultus, quibus Deum placa-  
rent, an nō meritis potius suis, quām Deo ipsi,  
tribuissé honorem uidentur? Quis autem talia  
merito probet? Quid, quòd officia huius com-  
munis & ciuilis uitæ, si uerè iudicare uolumus,  
longè sunt monasticis anteferenda, propterea  
quòd & mandatum Dei habeant & uocatio-  
nem, quòd sint ad communem utilitatem ho-  
minum destinata, quòd deniqz in uarijs pericu-  
lis & multiplicibus calamitatibus, quibus ob-  
noxia illa sint, semper exerceat fidem. Cùm in-

E terim

DE RENOVATA

terim monachi, repertas ab se, nec à Deo man-  
datas ceremonias seruent, cum sibi ipsi non alijs  
uiuant, nec ullam sustineant periculorum com-  
munium partem. Iam si omnis ea religio, quæ  
ab hominibus instituta atq; suscepta, nullum  
prorsus habeat ab Deo mā datum, Idolatria  
quædam esse uidetur, quid tandem de uita mo-  
naistica est censendum? Necq; enim quod tibi,  
idem Deo placere putas, quantumuis et sanctū  
& cum pietate cultuq; Dei coniunctum uidea-  
tur nisi ipsemet idem placere sibi ostendat.  
Quid enim? A' n tu gētes illas Idolorum quon-  
dam adorationi deditas, Dæmonia coluisse  
censes, quod persuasum sibi ipsæ haberent, Dæ-  
monia esse quæ colerent? Minime uero isthuc.  
Imò Deo Opt. Max. seruire sese credebant,  
huncipsumq; & honore debito afficere, & sa-  
crificijs suis placare. Qua in re ergo ( dicet alii  
quis) errarunt? Nimirum, quod quum uerum  
ueri Dei nomen adsumpsissent ( etenim esse  
Deum, ex insitis à natura religionis seminaris  
cognorant) non ritibus ab ipso præceptis atq;  
institutis, sed ab se repertis & excogitatis uene-  
rari eundem studuerint. Cum quidem interim  
sibi ipsæ falso persuaderent, sic esse Deum, qui  
& colli-

DOCTRINA ECCLESIASTICA.

& coli uellet, & acceptum sibi gratum<sup>cqz</sup> habeat,  
ret, quicquid impij nullis acceptis ab eo manda-  
tis, ad afficiendum honore Deum reperirent.  
Hinc illa unitas Dei, propter hominum de ua-  
rijs Dei numinibus opiniones, in plura qua-  
si frusta dissecta, innumerabiles penè procrea-  
uit Deos, quos occæcata errore mentis, & ima-  
ginatione uana delusa, ad colendum gentilitas  
adsciuit. Sunt igitur alieni Di<sup>j</sup>, non magis Ido-  
la illa & simulacra externa, quam opinio uana  
atcqz errans de numine uero. Etenim si Deum  
credas placari sacrificijs uelle his aut illis, hoc  
aut illo ritu coli, idcqz sine ipsius iussu Dei, iam  
uero Deo repudiato, alium in animo sed sub il-  
lius nomine confignis, ac uana ista imaginatio  
atcqz opinio falsa & peruersa, quam de cultu nu-  
minis habes, in illius locum succedit. Itaqz ut ad  
propositum reuertar, si persuasum tibi habeas,  
ut iam pridem orbis, uoto illo paupertatis &  
obedientiæ, ceremonijs<sup>cqz</sup> ac ritibus monasticis,  
affici honore Deum, quum hic nullum habeas  
ab Deo mandatum, iam opinio illa de his ins-  
criptijs atcqz nugis, Dei uicem occupat. Atcqz ut  
intus es animo affectus, ita foris cucullum, tan-  
quam Idolum & simulacrum externum, iuxta

E n imaginem

DE R E N O V A T A

imaginem opinionis interioris, gestas atq; cirs  
cunfers' neq; solum reuereter de eo religioseq;  
sentis, sed & salutem per eundem, & æternam  
uitam adepturum esse speras. Quid? non hoc  
propemodum est abnegare Christum, & ador  
are Idolum? Neq; enim magis fiduciam ponis  
in immensa bonitate Dei, per quam unam adi  
piscuntur salutem quicunq; ad eam configere  
toto pectore studeant, quam in cucullo, & hy  
pocrisi operum, & Iudaica penè obseruatione  
ceremoniarum. Hinc iam illa, quasi Idolorum,  
sic Regularum atq; Ordinum multitudo. hinc  
uaria cognomina gentis cucullatæ. Heu, heu,  
quo recedit pietas Christiana? quam in angus  
tum cogitur fides erga redemptorem Iesum?  
quando hi ferè qui religionis sibi titulum uindi  
cant, plus ab homine præscriptis ritibus, quam  
Dei præceptis tribuunt, nec tam misericor  
dia & benignitate Dei in assequenda salute,  
quam ceremonijs suis nituntur atq; confidunt  
breuiter excluso propemodum Christo, ex se  
ipsi peccatis satisfaciunt, neq; solum benefactis  
suis deberi cœlum putant, sed & superflua sibi  
opera bona uēdunt. Quid moror? ipso relicto  
& repudiato Deo, cordis Idolū sui uenerantur  
atq; colunt.

At

DOCTRINA ECCLESIASTICA.

At magnos (inquiunt) excitauit hæc do-  
ctrina passim tumultus. Non tam mehercule  
hæc instaurata nuper doctrina, quām regno  
suo timens, quod in tantis errorum atq; inscien-  
tiæ tenebris quietus diu possederat, Satan. Vn-  
de quum iam pelli ipse ejiciq; se doleret, quid  
mirum si miscere confunderetq; cuncta prius,  
quām possesto tam diu sine molestia regno ce-  
dere alij maluit. Ergo per ministros suos, quæ  
maxima turba, resistere Satan Euangelicæ dos-  
trinæ, funditusq; eam (si qua fata sinant) dele-  
re atq; extinguere est conatus. Hinc ingentes re-  
pente in orbe tumultus, hinc ille quorundam  
in pijs persequendis furor, hinc tanta in inno-  
centes crudelitas impiorum. Nam quod tale  
antea nihil acciderit, quum plena forent ubiq;  
superstitionum omnia, nihil profecto mirum.  
Sic enim tuendum ei conseruandumq; pace at-  
que ocio, & perpetua ferè prosperitate rerum,  
ac felici per omnia successu regnum suum fuit.  
At nunc, quia de imperio dimicare cogitur, per  
sibi subseruientes ministros terræ coelum (ut di-  
citur) miscet, religionem pollui queritur, ceri-  
monias uiolari, cultum Dei negligi, instituta  
prisca & traditas à maioribus consuetudines cō-

E iii uelli ac

DE R E N O V A T A

uelli ac commutari, peregrinationes uotiuas nullas suscipi, deserim monasteria, nulla extrui & ædificari templa, damnari ieunia, labefactari Diuorum cultum, rideri miracula, non ostentari reliquias, non simulacra coli, non consecrari faxa, non tingi campanas, non Indulgentias emi, nihil coenobijs legari, ad inopiam sacrificios redigi, raro festos agi dies, non umbras & spectra metui, quid multa: pacem in ecclesia turbari, merita operum rejci, deniqz funditus perire cuncta clamitat. Hinc, hinc illi tumulus, quos excitatos uidimus. Cætera ferè, quæ obijci possunt, leuiora sunt, quam ut confutarí debeant. Et est satis ab alijs responsum. Ac si quid forte restat, de eo in nostro De factis aparitionibus umbrarū, seu de ueteri superstitione libro, copiosius agendum duximus. Hic igitur libello huic, ubi tantum modo perstringere quædam breuiter, ac summa sequi fastigia rerum (ut ille canit) libuit, modū finemqz statuimus. Deo. Op. Max. qui misera iam pridem Satanae tyrannide oppressos pro sua bonitate liberavit, qui densa errorum caligine circunfusis Euangelij sui lucem reddidit, qui deniqz ab superstitione uana maiorum ad ueræ pietatis cul-  
tum

DOCTRINA ECCLESIASTICA.

tum traduxit, laus, honos, ac gloria, in æuum  
sempiternum.

F I N I S.

P R I N C I P E digna bono res est, mihi crede, uidere

(Si modo si: ueræ relligionis amans)

Qualia tradantur uitæ præcepta regenda

Et qui uulgentur de pietate libri.

Ne facile errorem uulgus rapiatur in ullum

Neu doctrina scri perniciosa queat

In ditione sua & quibus imperet urbibus ipse,

Hæc inquam uirtus Principe digna bono est.

Nanq; saluifero letalia semina uerbo

Sæpe admisceri Dæmonis arte solent.

Qui satis astutè facies se uertit in omnes

Et tentat quicquid calliditate potest,

Puram ut doctrinam fœdis erroribus atq;

Dogmatibus falsis commaculare queat.

Hæc demum causa est (bonitas mihi quod tua spendet

Te consulturum scilicet esse boni)

Hunc instaurata de relligione libellum

Cur ad te Princeps scribere non uerear.

Nam te doctrinam par est defendere sacram

Nec minima officij pars erit ista tui.

Conuenit hoc munus summis Heroibus, & quos

Illustri ac celso uult Deus esse loco.

Quos regere imperio populos, clauumq; tenere

Ac uelut in specula perpetuo esse iubet.

Desino, & incolumem precor ut te seruet I E S V \$

Atq; huic commendo teq; tuosq; Vale.

OCN 68510556







